

tum Lacustri luteo minore nullae prorsus, per *cutim* passim ceu foramina, ceu puncta cava rotunda, conspiciuntur; quae si quis caput versus valide radat, albissima videntur: sin iterum caudam versus, rursus obscurentur. In *ventre* meatus duo; unus excrementi, alter geniturae: qui compressus lacteo succo manabat. Et rursus alias *alia ex lacu* huiusmodi: subflava, punctis nigris, barbula a mento demissa, albicans. Ante initium pinnarum in *dorso* carnosae particula, mollis, teres, intusque cava, prominet. Inde mox sequitur pinna brevis, longitudine pollicis: deinde una continua, octo vel novem digitos longa, ab ea nudum pinnis dorsum est, per tres fere digitos: cum sequuntur aliae duae parvae, triangulares fere, inter quas digiti prope modum spatium intercedit: ex quibus infima et ultima, minor et caudae conjuncta est. *Fel* subviride: vesicula ejus tum jecori tum intestinis affixa. In ventriculo pisces duo integri erant, uterque digitos septem longus, tres latus: nec aliud quicquam. Pondus totius, unciae quinquaginta. Coctae pellis subviridi et deformi colore erat, caro albissima, bona, satis solida. *Jecur* album, non ut in minoribus subrufum, grande, suavissimum. In *alia Triffia parva*, *fluviali*, forte digitos decem longa, pinnae dorso inquit, sic sunt. Primum, caruncula illi brevis non est, sed pinnulla digito brevior: et minimo spatio intercedente, alia duos digitos longa: deinde post spatium duorum digitorum, alia paulo brevior, media, et mox cauda. Rursus ab hac differt alia, paulo longior, (ut semel animadverti: non enim simpliciter haec accipi debent, quod ad magnitudines et colores) cui minus erat flavi in corpore, plus nigri, et ejus splendidioris. Primum enim pinna illi brevis est, deinde una longa continua usque ad initium caudae: Ergo magna Triffia lacustris; praeter carunculam illam, pinnas in dorso quaternas habet, ex minoribus, nigricans binas; luteola vero major ternas, minor binas: si modo species duae sint luteolae: quod accuratius considerandum est:

Minoribus lacuum Triffiis pinnae in dorso binae, adeo propinquae invicem sunt, ut unica putentur: Colore fusco, non pulchro. Differentia a pinnis certior: nam colores multas ob causas variare possunt. In Rhe-no supra Acronium lacum aliquando ad tres libras sedecim unciarum accedunt. Constantiae tanta capta, ut drachmis duabus cum dimidia venderetur. Captae et Pragae aliquando, pulcherrimae, coloribus distinctae, flavo, croceo, candido, roseo, atro, oculorum pupilla nigra, parte ambiente caerulea. Nigriores circa ripas fieri, magis in profundo flavas, quibusdam placuit. *Carnivora* sunt, nec ullus piscis pro sua magnitudine majores pisces devorat. Profunda petunt, adeo, ut Albertus scribat, in lacu circa Constantiam ad trecentos passus sub aqua hamis extrahi: saepe cum ranis extrahuntur; quae quia illis ore adhaerent, tanquam exsugendi cibi gratia, ideo ore cum ranis aquaticis coire, quidam prodiderunt. *Parere* incipiunt Decembri, alicubi et Januario. Solae piscium senectute *obcaecantur*. Maxime commendantur *in cibis*, illae inprimis, quae in puris rapidisque fluviis degunt, quod candidiorem ac solidiorem carnem habeant. In jecinoribus tanta saporis gratia est, ut apud Thuringos olim comitis cujusdam Bichlingorum matronam, omnes, dicant, principatus sui redditus in eorum delicias consumisse. Laudantur haec praecipue ante Natalem Dominicum: circa partum improbantur, quod hoc tempore nonnullis in aquis grandinosa fiat. *Ova* ajunt semper valde noxia esse, quibusdam in locis, ut circa Neocomensem lacum Sabaudiae. Caupones aliqui excisis jecinoribus, pisces vivos aquae reddunt, confuto prius vulnere. *Ventriculum* hujus piscis cum suis appendicibus miras habere vires tradit Ence-lius. Inveteratum enim, ut fit (inquit) in Saxonia a matronis, trahere mirifice secundas haerentes aut relictas in partu, in potu datum: et magni momenti esse ad omnia vitia matricis. In Suevia passim in Cauponis et diversoriis parietibus haerentes hi ventriculi